



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vocari ad monasticam religionem in innocentia, quam sit felix seductio:
Gaudia mundi quantum distent à spiritualibus: votum vt non obstet libero
arbitrio: quanto sit votum encomio euehe[n]dum: ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Pax serenitasque peccatoris quina obtineri possit.

Deus quid ab homine lapso desinet.

Conscientia ante faciendam confessionem ut interroganda.

illi errata tua, atque ita pacem hinc cum illo recuperabis, & conscientia puritas & serenitas reddetur tibi. Deinde oportuno tempore has & alias admittas culpas quieto & tranquillo corde confitearis. Non ea est confessionis ratio, erga te tuique similes filia, ut ipsa persuasum habes. Interim inquieta & perturbata conscientia tua à præcipuo & summo bono te impedis, semperque merore quodam ac desolatione contracta manes, qua re cuncta exercitia bona, deuotionem omnem, cunctos diuinae lucis influxus à te præcludis. Quod vix non est ex Deo, nec id placet Deo. Vult potius Deus, ut simul atque peccaueris, mox humiliter ad ipsum confugas, ipsi tuam culpam confitearis, & veniam petas, idque sufficit illi. Vult etiam ut admittas culpas suas, id esse quod sunt, atque colloquia & preces tuas perinde ut antea cum ipso continuas. Porro tibi confitendi tempus aduenit, reuoca ad memoriam, quæ tibi iuc derint, si quæ ab vltima confessione notabilia perpetrasti, atque hac in parte sis obediens ad horum faciendam confessionem. Si quæ vero ex animo exciderint, nec redeunt ad memoriam, ea nihil te perturbent, nihil præterea Deus exigit à te. Contentus est tecum, donec incidaat animo, non te necesse est multum inde imaginari. Gracius est Deo, si interim tempus illud cum ipso transigas, ei precibus vel meditationibus colloquendo. At tamen quando confitendum est, spatium duarum vel trium orationum dominicarum discendas conscientiam, si quid forte in ea reperire possis notabile, quo ipsam læseris, quodque modo confiteri debeas. Alias quotidie sub vesperam vel sæpius ad Deum conversa poteris cum illo colloqui, illi conqueri & exponere statum, imbecillitate, instabilitatem, ingratitude, infidelitatem & negligentiam tuam, idque generatim vel speciatim, atque hinc quandam orandi & bonum propositum instaurandi occasionem & exercitium arripas: totumque id facias animo suauiter & amabili erga Deum. Quæso filia, boni consulas scripta mea, & securè illis obtemperes. Si quid porro prodesset tibi poterò, faciam libenter propter Deum. Si vacat tibi, exscribas tibi hanc meam epistolam, mihi scriptum meum remitte. Equidem tuas tibi remitto liberas. Si meis monitis auscultaueris, quandoque Deus pace & gaudio cor tuum afficiet. Cui ego te commendo filia, & tu ipsa quoque & te & me iugiter commendare debes fidelissimo & amantissimo cordi Domini saluatoris sponso tui, in quo lætetur semper & exultes, quandoquidem diligit te. Vale in eodem feliciter.

Vocari ad monasticam religionem in innocentia quam sit felix seductio: Gaudia mundi quantum dissent à spiritualibus: Votum ut non obstat libero arbitrio: quanto sit votum encomio euehendum: instabilitas quosiam magis molestat vexatq.

Epistola XLVIII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.
sorori N. in Christo charissimæ, de ingressu religionis non contristari, sed suo sponso cœlesti regratiari, fidelemque ei consistere.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi soror charissima qui cum illum non agnosceres, amauit te, cum nescires, vocauit te, cum peritura esses, præseruauit te, cum in periculo stares, eduxit te, cum in-
graciam

gratam & beneficium non cognituram prævideret, beneficijs atque muneribus dotata te. Propheta dicit: *Seducisti me Domine, & seductus sum: Fortior fui, & inualuisti.* Charissima soror, si ita seducta es, feliciter es seducta à Domino: quippe qui innocentem puellam te constituit in locum animæ tuæ salutis quam maximè congruum. Eripuit te à periculis etiam damnationis, plantauit in statu tutissimo (cuius cum felicitatem non agnouisti, nec hodie forsitan agnoscis, non gratias agis) & ad hæreditatem suam in cælis secum possidentem te non modo inuitauit, verumetiam adoptauit. Hæc est seductio tui. Seduc me Domine ita semper, falle sensualitatem meam, vt cum carne incipiam, spiritu consumem: Cum cogito aut concupisco secundum carnem, aut secundum mundum, deduc & seduc me in vias mandatorum tuorum, & in semitas spirituales. Deduc me in via mandatorum tuorum. Trahe me post te, & nolentem coge.

O soror si tibi ita accidit, nihil mali, sed boni plurimum accidit. Gratias age Deo, qui te antequam noffes in quo periculo viueres, antequam consiliū auxiliūue flagitares, antequam beneficium præstandum intelligeres elegit, prædestinauit, vocauit, sanctificauit, dotata, assumpsit, muniuit, adoptauit & sibi desponsauit. Quod paucissimis quibusque & electissimis facit, tibi fecit. Itaque si seducta es, feliciter es seducta. Posses obijcere. Num in seculo saluari non potui? Nunquid solis monialibus spes est æternæ salutis? Est vtique spes bonis omnibus Christianis. Verum magna est difficultas esse bonum in seculo, in quo impedimenta varia occurrunt. Donum Dei est, vbicumque quis fuerit bonus, qui vni sic, alteri sic prouidet, inspirat, consulit, ducit atque perducit: id est, maximè secundum inclinationem humani spiritus, qua videt capacem & paratum sequi, applicat etiam vocationem & dona.

Itaque soror charissima, qui te ad vitam æternam prædestinauit, prædestinauit etiam media, per quæ ad finem illum prædestinatum, id est, vitam æternam peruenias. Si igitur vita secularis tibi conuenisset magis ad obtinendam & proficiendam hanc prædestinationem (crede mihi) non te posuisset Deus (qui optima & vtilissima largitur) in monasterium. Verum quia sciuit te in seculo arborem fore (vt modestè ac parum dicam) infructuosam, quod vel inde perspicuum: quia cum in claustro abstracta à periculis & occasionibus malis, adeo es tepida, in deuota, arida, pigra & cætera, quomodo esses in seculo? Qui circa ignem friget, in imbre aut in uue quando calecet? Ergo quoniam in seculo futuram te præsciuit sterilem arborem, nec modo sterilem, verum etiam cum tibi, tum alijs perniciosam, inclusit te monasterio (quippe cui hæc tam arcta custodia foret necessaria) ne pericula damnationis, & viam ad infernum latam incideres, in quæ si mundo non fores subtracta, casuram te mouerat.

Verum tibi aliter videtur & idèd aliter, quia futura præuidere non potuisti, nec contingentia scire in alio loco & statu: ideo diabolus persuadet, vt tibi somniet quam bonam ac piam duxisses vitam in seculo, quæ tamen mirum quomodo credere potuisses, cum ad eam acediosam te in monasterio sentias. Vocauit autem te Deus in pueritia uerum ex singulari gratia, ne annohor & idèd obstinata & frigida, quod modo satis elucet) vocationis (cui te non respõsuram

Hier. 50.
Vt quosdã
Deus feliciter
educat.

Galat. 3.

Psal. 118.
Cant. 1.

Difficile
quem posse
in mundo
bene viuere.

Vt Deus sua
bonitate
quosdam à
periculis
extrahat.

furam seu obtemperaturam nouerat) rea damneris. Ideo, vt dixi, cum itine effes, & diabolus nondum in te locum prauitatis sibi vendicauerat, vltro contententem & optantem per consilium parentum in hunc felicem statum filii Deus te captiuam duxit.

Captiuitas
felix quæ sit.

Soror charissima, felix est hæc captiuitas, beata seductio, prudentia parentum laudabilis, qui animæ tuæ magis, quam temporalibus lucris consuluerunt. Quod si omnino tibi persuaderi nequit, dic mihi si desponsata fuisset comiti aut duci infantula, iam adulta diceres te fuisse deceptam. Haudquam profecto. Nam quis crederet te adeo desipere posse, vt diceres: Iunior fui: cui desponsata fuerim, non intellexi. Ego cuius cuiusdam filia ducem pro sponso contemno, vnitorem illi præfero. Quin potius matris consilium & prudentiam prædicares. Eia, diceres mihi, quomodo hoc euenit, vt facta sim vxor principis? Ex tenui puella subito facta sum ducissa? Sic pari modo, si fuisset aut inesset prudentia tibi, gauderes iactaresq; te habere regem tantum sponsum. Credisne te reginam præstolare modicum, & aperientur tibi oculi in morte, & videbis, quam non sis decepta. Videbis gloriosissimum cæli regem, sponsum, & amatorem fidelissimum, cui modo desponsata es, tunc contempleris, Tunc redargues te huius stoliditatis tuæ, qua iam sponsum non cognoscis, & ingrata non diligis.

Mortis meditatione
vt sit assumenda
contra tentationes.

Ah soror & filia prædilecta, imaginis illam horam quasi modo præteritam: quantum gauderes te fuisse in monasterio. In quo etsi non multa bona fecisti (vt consolationis causa ita loquar) multa tamen mala euasisti. Instant ergo illa hora, quid conferret tibi in mundo diu vixisse, & choreis, vanitatibus, luxui, pompis, glorijs, gaudijs, cantibus prophanis, comestationibus, conuiujs, auro, claudijs, familia ingenti, coniugio delizioso, & cæteris mundi pereuntibus bonis omne etiam tempus vitæ consumpsisse?

Quam longe
distent gaudia
bonis hominibus
præparata
mundi gaudijs.

Iam verò alia gaudia longissimo interuallo ab huius mundi gaudij distantia reperies. Sponsus occurret delicatissimus, potentissimus, rex regum & c. in cuius amore & gaudij fruitione sicut piscis in aqua natabis, & absorberis. Intellige igitur, quam non sis decepta, aut si seducta es, quam feliciter sis decepta, vbi tanta tibi bona conquistata sunt.

Votum vt
non obstat
libro arbitrio,
sed magis id
confirmet.

Credo tamen tempore professionis tuæ aded annosam te fuisse, vt deceptam te fuisse non possis iuste conqueri à Deo, vt si cum consensu aut sine consensu parentum in seculo cuiquam nupsisses, aut te nupturam promississet, promissio omnis rata fuisset, & constans. Quanto magis quicquid promissum in salutem animæ tuæ Deo: Vnde si promissi boni te penitet, modo non arguendam est monasterium, non calumniandi parentes, non exprobrandum consultoribus, sed propria tua ignauia & acedia vituperanda, castiganda atque corrigenda venit. Forsitan dicis, quod multi. Malo bonum quodcumque ex libero arbitrio facere, quam coacta ex voto obedientiæ, quasi ijs qui in monasterio sunt de se arbitrij libertas, qua possint obedire & non obedire: aut quasi quis aliquid faciat sine voto volens, idem autem cum voto nolens: cum votum non cogat, sed confirmet. Neque enim quis dicitur coactus aut inuoluntarius facere, qui facit quod ei non licet facere: quia si aded est deo-ritus, vt voluntatem habeat (quod licet non facere) faciendi, quomodo non habebit voluntatem id ipsum (cum per votum postea non licet non facere) facien-

faciendi: Si virgo amet & desideret iuuenem non desponsatum, quomodo eundem non amaret aut non veller, nisi coacta, id est, inuita desponsatum cum promissio aut votum non tollat voluntatem quam inuenit, nec mutet, sed roboret, stabiliat & confirmet: Porro instabilitas animi mutat voluntatem, quæ multo magis & vehementius accedit eum, qui non vult, quam qui vult seu promissit.

Instabilitas
quos magis
infestet.

Falsum est igitur dicere, extra votum vltro cupere (vt est ieiunare, castitatem seruare &c.) quod per votum obligata nolis. Inde palam est charissima, tentationem esse carnis & diaboli, quippe quæ multo magis, meliusquæ scis bona operari, & ad hæc stabilior est voluntas cum voto in monasterio, quàm sine voto extra. De libertate autem iam dixi, nullam esse coactionem, vbi est voluntas. Quod si voluntas abest, coactio voti adest, signum est extra votum te nolle. Ergo bonum est votum, quod alioqui nolentem ducit ad bonum opus: & nolentem bene agere, facit volentem obedire, seu votum reddere. Semper est ergo, bonum & vtile votum. Nam si extra votum velis, votum confirmat volentem: si nolis extra votum, votum inducit & impellit nolentem.

Quænam
coactio sit
bona.
Votum vt
seper sit vtile
& bonum.

Melius est autem multo bonum opus, licet alioqui extra votum nolitum, propter votum facere, quàm omnino nihil facere. Melius est, inquam, votum solum propter voti obligationem reddere, quam otiosum esse, & nihil facere. Nam talem te non iudico, vt & quod voto promissum est nolis, & votum seruare, id est, reddere nolis, præuaricatricem te malens constituere, quàm votum seruare. Ita enim melius fuisset non vouisse. Sed hoc non ex voti perniciæ (quod bonum est, sed bono licet imperfecto) sed ex tua malitia, cui scilicet malè quod bonum est, nocet. Accipe exemplum. Virgo es, & mallets maritum, tamen quia vouisti castitatem, seruas, non quia amas castitatem, sed quia canes voti præuaricationem, & voti amas obseruantiam. Bonum est tibi vouisse, quia hac occasione manes virgo. Et si tristis manes, imperfectio quidem est, non damnatio, quia Deo prælegis votum licet non amatum seruare, quàm voti fractione & concupitæ delectationis consequutione Deum offendere: & hoc est tibi salutare atque meritorium. Itaque volendo votum obseruare, vis etiam quod ex voto debes. Omnia igitur voluntaria sunt. Hæc sufficient tibi in Christo soror charissima, qui consolatione sua tuam repleat animam, & auferat salutaris voti omnem pœnitentiam, tollatq; tibi omnia obseruantia tristitia. Vale, & pro me sponsum tuum ora.

Votum vt
proficetiam
imperfectis.

Discretione quanta opus sit Deo in monastica religione consecratu, in vsu præcipue corporaliu necessitatu: abstinentiam indiscretam vt suadeat diabolus: obediencia, abnegatioq; proprii consilij quam sint religiosi necessaria: natura item infrenis quam edomanda absque periculo.

Epistola XLIX.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS.
filia suæ charissimæ Christi quæ sponsa, N. spiritum seruatoris & discretionis.

FF

Filia